

Christian Schlee Johannes Willebrandus

## **Pars Prima Thesium Theologicarum De Antichristo Romano**

Rostochii: Reusner, [1606]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756518512>


Druck Freier  Zugang



Sledanus.

R. U. theol. 1606.

14







Ex Bibliotheca  
Christoph. Reusneri

PARS PRIMA  
THESIUM THEOLOGICARVM

De

Antichristo Ro-  
MANO, PRO-  
POSITARVM

M. CHRISTIANO SLEDANO,  
publico S. S. Theologiae Professore  
in incliâ Rostochiensis Aca-  
demia;

DE QVIBVS

Christo Immanuele nostro annuente, in  
Christianâ & placidâ συνήθεια, a. d. z.  
Aprilis, Anno 1606.

Respondebit

JOHANNES WILLEBRANDVS  
Megapolitanus.

ROSTOCHII,  
Apud Christoph. Reusnerum,



VIRIS,

Reverendo Dn. PETRO WILLEBRANDO,  
Ecclesiastæ, parenti meo observandissimo;

Consultissimo Dn. NICOLAO WILLE-  
BRANDO, Magn. Acad. Rostoch. p. t. Rectori,  
I. V. Doctori, Philosophiæ practicæ pro-  
fessori publico, fratri in eo optime  
de me merito;

Dn. IOHANNI WILLEBRANDO, patruo  
Charissimo;

Dn. ARNOLDO KNÖVENAGEL  
affini dilectissimo,

*Civibus Reipub. Rostochiensis prudentissimis; obser-  
vantis & grati animi testificandi causa.*

Hasce positiones Theologicas

*Dedico & offero*

IOHANNES WILLEBRANDVS.



**I**ta d. Judaeis usquevenit, ut cum luculentissimas de Christo promissiones teneant, longius tamen à vero Messia absint, quam si nunquam illis audireum esset nomen Messia: Idem & Pontificijs evenit, qui etiamsi nihil magis in ore habent, quam Antichristi adventum; tamen aded stupidi sunt & insensati, ut durissimum Antichristi jugum, ipsorum humeris impositum, non perferant. In id enim summâ ope usque hac nixi fuerunt, ut ne verus Antichristus è Romano Babylonis latibulis in conspectum orbis Christiani pertractus, magis nobis sceteret. Sed quo nos, qui, auspice Christo, Luthero duce, à Meretrice Babylonica secessimus, scortum istud intus & in cute magis pernoscamus, animus nobis est, controversias de Papa, Romano Antichristo, paucis proponere verius, quam prolixè exponere. Prius vero GENERALIA nonnulla de Pontifice Romano capita praemitteremus, quam ipsum propositum, An Papa Romanus sit verus Antichristus magnus, demonstremus.

## PRIOR PARS

Generales quasdam de Papa Romano notiones explicat juxta tria principiorum genera, ut sunt

### I. DEFINITIONES.

1. Disputaturi de Romano Pontifice, opera nos precium facturos arbitramur, si initio praecipua ejus Nomina ac titulos, quibus per sepe salutarur, loco DEFINITIONVM describamus.
2. Attribuuntur verò Romano Pontifici Nomina, quae illum aut Communiter, aut Singulariter exprimunt.

3. **COMMUNES** titulos dicimus, quos quisq; Ecclesiastes sibi officij sui jure arrogare & usurpare potest, uti sunt, Esse Ecclesia Pastorem, Prapositum vinea, Doctorem fidelium, Rectorem domus Dei, Dei cooperarium. &c. Quae quidem communium nominum nomenclatura cum nostro instituto parum seruiat, eam missum facimus. Ac magis magisq; querimur & dolemus vicem tam sanctorum nominum & titulorum, quos tanquam imagines exterminata vera Ecclesia Christi, Pontificij in triumpho circumferunt, sicut Imperatores olim illarum, quas debellarant, & everterant, urbium imagines in triumphali suo curru collocabant & circumferebant. — Quis enim verè hunc vinea Domini custodem atq; rectorem domus Dei crediderit, qui eam vastat & Pastorine ovium an lupo similior, qui innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehenna cum illo plagis multis in aeternum vapulaturus & Hicine fidelium Doctor, an mundi Monarcha & Imperator, qui se Regem Regum & Dominum Dominantium &c. à suis salvari patitur, ut mihi quidem B. Lutherum de ejusmodi Ecclesiastico-politicis nominum monstris graviter ac sapienter dixisse visus sit: Es sind im grunde der warheit Weltliche Herrn / mit einem Geistlichen Namen.

4. **SINGVLARITER** Romani Pontifices nuncupantur, suis nominibus, quae sunt aut Singulorum Propria, aut à munere, quod se in Ecclesia sustinere opinantur, denominata sive Appellativa.

5. **PROPRIO RVM** observetur partim Ordo, partim Mutatio.

6. **ORDINE M** Pontificum Romanorum, secundum singulorum nomina propria, Platina, Costerus, Onuphrius, Sebastianus Francken / Balaeus longo catalogo persequuntur.

7. In Propriorum **MVTATIONE** tam facti Causam, tum ejus Originem peruestigabimus. Etenim papales Flamines, quando ad

- do ad pontificatus dignitatem evehuntur, abnegatis, qua in sacro baptisate sortiti sunt, nominibus, nova sibi adsciscere solent.
8. De **ORIGINE**, quis Pontificum primus suum sibi nomen mutaverit atq; novum assumpserit, variant auctores.
9. **CAUSA** mutationis nominum Specialis est in dubio. In genere tamen nihil prohibet causam suspicari aut Politicam, aut Theologicam.
10. **POLITICA** putatur, quod, quia Pontifices existimarunt sua sibi nomina esse obscura, humilia, deformia, parum majestate Pontificis digna; ideo suis oblitteratis superba & ad sanctitatem sacerrimam composita fingere maluerint, honorificentius existimantes nomen in unctioe ab hominibus excogitata susceptum, quam in baptisate à Christo instituto acceptum.
11. **THEOLOGICAM** hanc rationem quidam augurantur, quod Baptisatis gratiam externo nominis proprii in foederali baptisatis actione collati signo signatam mysticè respiciant, & eidem solemniter sui nominis abnegatione valedicant.

#### Fuit de Nominibus Propriis;

Sequuntur **APPELLATIVA**, quibus Romani Pontifices magnifici audire satagunt, ut saepius de istis ne unum tollere jota velint.

12. Non autem singula Pontificum cognomina recitabimus, quae improprio & nullo titulo sibi vendicant, neq; in istorum, quae subijungemus nominum ἑτυμολογία nimium superstitiosi erimus, Stoicorum instar, qui omnium vocabulorum inflexiones seu derivationes, curiosè & ridicule perquirunt. Sunt enim innumerabilia verba, quorum ratio reddi non potest, vel quia non est, ut Augustinus arbitratur, vel quia latet, ut Stoici.
13. Sunt verò **Attributa** Rom. Pontificis in duplici differentiâ: Aut **Odiosa** & **invisa**, aut **Grata** ei sunt & **amica**.
14. **ODIOSA** dicuntur, quae ad ipsius fidem & vitam verissimè & exactissimè congruunt, inter quae praecipuum est nomen

## ANTICHRISTI.

De isto nomine non sine controversiâ Etymologi disputant. Vera enim vocis ἐμψασις non uno indicio significatur. Pariter enim ut vox ἀντιβη in Homero familiarissima: Ita & ἀντιχριστος in significando pro variâ particula ἀντι acceptione variat; quippe qua significativa est eorum, qua tùm ἐναντίας vicissim seu vicem, tùm & iuxta seu aqualitatem, tùm ἐναντιον oppositè seu contrarietatem designant. Nihil igitur prohibet quo minus vocabulum Antichristus decenter coagmentatum, si maximè esset triplici sensu ἀρεσπον, pro Grammaticâ & quidem Grecanicâ interpretandi licentiâ significaret, 1. Vices Christi sustinentem. 2. Christo parem 3. Christo contrarium. Interim non inficiamur priores Antichristi significationes à scriptura phrasi alieniores; posteriorem verò ei familiarem. Iohann. enim. 1. Ep. 2. 22. & 2. Ep. v. 7. Antichristum definit eum, qui patrem & filium negando, alios simul secum seducit, sive id ipsum fiat Christum dictis & factis emulando, sive Christo se diametraliter opponendo.

15. Porro nomen Antichristi bifariam accipi patet ex assertione Iohann. 1. Can. 2. v. 18. ubi in eximium ac singularem quendam Antichristum jam pridem in Ecclesiâ pronunciatum & expectatum, & inter multos Antichristos, tanquam prædicti istius præcursores, manifestâ oratione distinguit, & utrumq; inter se committit. Vnde factum, ut vox Antichristi docendi gratiâ ausilatè & communiter, vel strictè & propriè in Ecclesiâ usurpetur.

16. L A T E significat quemvis hæreticum, Christo obnitentem, & sive doctrinâ sive moribus eidem reluctantem; qualis fuit Arius, Cerinthus, Basilides & ceteri, qui eam latam viam regnâ Magni Antichristi straverunt.

17. S T R I C T E vocat̃ ἰεροχὶν attribuitur eximio Christi adversario, quem Spiritus S. proprio nomine filium perditionis, hominem peccati & iniquitatis, sedentem in templo Dei & colentem Deum Maozim, sedentem super aquas multas ebrium sangui-

ne sanctorum, Regem locustarum &c. indigitat.

18. De utroq; Antichristi significatu optimè nobis cum Jesuitis convenit. Verùm de Antichristo proprie dicto, An sit solùm una numero persona, controversatur. Nos negantem; Pontificij affirmantem partem tuentur. Nostra assertioni favent Paulus 2. Thiss 2. v. 3. & Iohannes 1. Ioh. 4. v. 5. Uterq; enim contendit, Apostolorum jam tempore Antichristum, filium perditionis extitisse, ac malum, quod in apertum proferre vellet, propter quedam obstacula animo suo aliquandiu occultasse, donec istis remotis suum, quod aui meditari erat, regnum revelaret, & in apertum proferret. Non autem aubium est, quin is omnino & non alius revelandus fuerit, nisi qui olim in occulto sese detinuerat, nec in lucem prodiret. Revelandus autem Antichristus prænuntiatur. Eundem ergò & jam eum fuisse consequitur. At verò, quod unius hominis ac individui vite se ad mille sexcentos & amplius annos extendere possit, ei forsitan verisimile videbitur, cui cerebrum non in caput, sed in calcaneis situm est. Absurditas igitur est absurdissima, unum & certum quendam fore hominem Antichristum.

19 **GRATA** sibi aut ipse in nomen sumit & fingit, aut ei ab alijs Romane sua sedis adulatoribus deferuntur; qua quidem singula ad Antichristi voluptatem dicuntur omnia, nihil ad veritatem.

30. **IPSE** se in omnibus diplomatis, in bullis, in literis **SERVVS** **SERVORVM** **DEI** nescio qua ratione nominat. Notissime quidem sunt significationis verba, sed planè aquivoca. Nec augurari licet Famulorum ne se abjectissimum constituere, an eorundem summus & quasi caput haberi velit. Scio equidem primitus demissum hoc fuisse nomen & subjectionis signum. Sed hodie quàm multi Reges & Principes, si terrena saperent, suum Dominatum cum Rom. Pontificis Servitio commutarent. Quid enim? Hic sine servus, qui plenum imperium sibi in Reges, in

Religionem, imò in conscientia nequiter rapit, habet, usurpat.  
Nescius tamen sum, an fato quodam hoc nomen ex Chami male-  
dictione sibi mutua verit. Sed benè se res habet. Servierant ti-  
bi Roma prius Domini Dominorum: Servorum Servi nunc ti-  
bi sunt Domini.

21. Nunc porrò ALIIS, Romanis assentatoribus aures patefacia-  
mus, quàm isti voruosa titulorum inflexione, tanquam cauda  
motu canum instar Romano famulo abblandiantur: qui tituli il-  
lius sensus quasi titillant, ad eosq; cum suavitate affluunt.
22. Usurpantur autem illi aut κατ' αὐτὸ Substantivè & absolutè,  
aut κατὰ ἄλλοθεν Adjectivè & concretivè:

SVBSTANTIVA sunt

23. I. PONTIFEX. Romana & gentilis vox est, quam Alij  
à ponte deducunt, idq; duplici ratione, vel quòd Pontifex, quem  
Numa Pompilius, secundus Romanorum Rex, creaverat, cum  
Tyberis magno impetu in pontem antiquissimum irrueret, votis  
factis, ne pontem rumperet, flumen placarit, effeceritq; ut pla-  
cide intra suum decurrens alveum ponti parceret: vel quòd  
sublucius pons à Pontificibus factus sit primum, & deinde resti-  
tutus. Alij à posse & facere inflectunt, quod maximam se-  
cundum Regem haberent potestatem Pontifices.
24. Inde illud nomen Pontificis ad Ecclesiasticam nomenclaturam à  
Latinis sacri codicis interpretibus translatum, bisariam accipi-  
tur, Propriè scilicet & Impropiè.
25. IMPROPIE acceptum est vocabulum non singularis officij  
Ecclesiastici, à quo ceteri Ecclesiastæ & Collegæ divinitus quasi  
essent sejuncti; sed est superioris ordinis, qui in externo Eccle-  
siæ regimine decenter etiam inter collegas servari debet.
26. PROPRIE & verè Pontifex is dicitur, cui & ipsum nomen  
& ex parte nominis definitio competit; Ex parte inquam. Sicut  
enim typus & antitypon, non imò essentiali definitione parti-  
cipant; Sic enim non essent typica, sed planè eadem; sed de ty-  
po defini-

po definitio dicitur anagogicè propter antitypum: Ita verus Pontifex aut τὸν μὲν, aut ἀντιτὸν μὲν prædicatur de aliquo.

27. Τὸν μὲν quidem in V. T. sub umbris de filiorum maximo in Aaronis familia dicebatur: is ὁ ἄρχιερεὺς Sacerdos Summus, latinis Pontifex in vulgo appellabatur.
28. Ἀντιτὸν μὲν Pontifex in N. T. nobis definitur, quod sit Christus. Nam legalis Pontifex umbratile fuit documentum præfigurati in N. T. pontificis Christi, quemadmodum hanc anagogen Epistola ad Hebræos secundum principales typi & antitypi partes interpretatur: ut non-nemo animadvertere possit, quàm fuerit Pontifex legalis omnimodò typus Pontificis Evangelici, Christi nimirum, qui tanquam formalis & realis Pontifex typis significabatur.
29. Si igitur annus vertens in Iudaici Pontificatus typo fuit umbraculum ἡ ὄψων αἰωνίων; Christus itidem typi veritatem implevit: somnia iste sine somno somniat, quisquis num hodie quoq, officij sui partes sub Pontificis titulo propriè tutari velit. Et consequenter Romanus iste Pseudopontifex, dum sibi unicè tam augustum Pontificis titulum arrogat: aut veterum Rom. mores ac cultus gentiles in Ecclesiam invehet, aut Iudaismum restaurabit. Neutrum verò de se audiri patitur, nec tamen quicquam de ipso titulo cedit. Nos igitur ἡ ἀποστολικὴν Pontificis veriùs, quàm Pontificem eum appellandum censemus.
30. II. APOSTOLVS. Etymon vocabuli in contentione versatur. Quidam enim δὸς τῆ σὶ δὲ, quod classem significat, derivatum volunt, ut Apostolus sit classis instructor. Ut enim classis instructa, in immensa pelago vehitur: Sic Apostolus est doctor divinitus instructus & testimoniis Spiritus S. confirmatus ad colligendam Ecclesiam ex toto genere humano. Quidam δὸς τῆ δὸς σὶ δὲ h. e. amandare seu cum mandatis aliquem mittere. Ad quam posteriorem Etymologiam Christus alludit Johan. 13. Luc. 6, 13.

31. Porro *Apostolus* aut de *Re*, aut de *Persona* predicatur. Si *REI* attribuitur, significat *litteras dimissorias*, quae ad eum, qui ad cognoscendam causam appellatus est, dimittuntur. Hinc *Apostolos frangere in senatu*, est phrasis *Liviana*. Si *PERSONAE*, idem sonat quod *Missum, Legatum, Oratorem*, qui negotia fidei sua commissa verbatenus exequitur, quo sensu & hic accipitur nomen *Apostoli*.
32. Sunt verò quatuor *Apostolorum genera*, teste *Hieronymo*. *Vnum*, quod neq; ab hominibus est, neq; per hominem, sed per *Jesus Christum & Deum patrem*. Aliud, quod à *Deo* quidem est, sed per hominem. *Tertium*, quod ab homine est, non à *Deo*, *Quartum*, quod neq; ab homine est, neq; à *Deo*. De *Tertio & Quarto* conceditur *Rom. pseudoEpiscopum esse*: De *secundo* scilicet omnes *sinceri Ecclesiarum Doctores*: De *primo* sunt *duodecim Apostoli*, quibus postea *decimus tertius adjunctus est Paulus Tarfensis*.
33. Deinde *Apostoli nomen* aut *Peculiariter*, & *non* *Communitè* *prædicatur*, aut *Communitè* omnibus ejusdem ordinis collegiis tribuitur.
34. *PECULIARITER* ad *Christi Apostolos* congruit, & non solum ordinem, sed etiam *singularem potestatis primatum ac privilegium* in *Ecclesia* designat. *Consistit autè illa potestas & prerogativa Apostolica* I. in *immediatâ vocatione Gal. 1. 11.* In *generali missione ad omnes gentes sine ulla exceptione Mat. 28. III.* alij addunt *potestatem Ecclesias primitus fundandi Eph. 2.*
35. *COMMUNITER* *Apostoli nominantur*, quibus eadem est *doctrina à Christo tradita prædicatio, & Sacramentorum administratio*. Unde *paronymum istud Apostolicum, natum est, quod non modo Doctores dicamus Apostolicos, sed etiam Ecclesias Apostolicas, & eas quidem non solum, quæ ab Apostolis primò erant plantatæ, ut Corinthiaca, Ephesina, Romana & aliæ; sed etiam quæ nullum ex Apostolis authorem suum proferunt,*

ut multi a posteriores, tamen in eandem fidem Apostolicam con-  
spirantes.

36. Quod igitur Romanenses Ecclesiam suam Romanam etiam num-  
hodie Apostolicam dicunt, est plane aquivocè dictum, quemad-  
modum & Apocal. 2. perstringuntur nonnulli, qui se dicebant  
Iudæos, id est, Dei confessores, esse, sed non erant, quos Sata-  
na magis Synagogam esse Christus censez.
37. III. EPISCO PVS. Ἐπισκοπῆν, si velimus, latinè superinten-  
dere dicere possumus, ut intelligat non se esse Episcopum, qui  
præesse dilexerit, non prodesse, ut inquit August. 1. 19. de civ.  
Dei. c. 19.
38. Primà verò suâ Origine forense est vocabulum, significans civi-  
lem Magistratum tam apud Romanos, quàm apud Græcos. Inde  
ad Ecclesia usum translatum.
39. Prædicatur autem vox Episcopi aut Communiter de omnibus  
universè in Ecclesia doctoribus; quemadmodum & Apostolorum  
officium nomine ἐπιτοπιῶν seu ministerij venit Act. 1. v. 20.
40. Aut propriè de his, qui Apostolis fuerunt gradu inferiores.  
Quo sensu sub renescentis primitivæ Ecclesia primordiis com-  
mune fuit nomen & Presbyteris & hodie dictis Episcopis.  
Idem enim in veteri Ecclesia fuit Episcopus, qui & presbyter,  
quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis. Iuris tantum est hu-  
mani & ordinem externum concernit, ut Superintendens seu  
Episcopus hodie presbyteris emineat: Sed jure divino dignitas  
Episcopatus à presbyterio nihil omnino differt Act. 20. Tit. 1.  
1. Tim. 3. 1. Pet. 5.
41. Si ex locis allegatis argumenta veri Episcopi deprompseris, Papa  
jure non nominari poterit Episcopus. Nam aut est Episcopus,  
aut non est. Si non est, cur Ecclesia Christi præsidet. Episcopi e-  
nim est esse διδάσκων Tit. 1. Si est, cur non curat illum gregem,  
qui penes est, ut Episcopum decet Act. 14. Tit. 1.
42. IV. P A P A. Alijs videtur ἐπιτοπιῶν habere à Papæ, interje-  
B Etione

Etione videlicet, vel exclamantis, notans ad afflictiones Papa, qui multas exclamaciones, heu, va, hei, papa, sit pariturus, vel admirantis, q. d. admirabilem. Notum enim illud: Papa stupor mundi; Item, Qui maxima rerum, Nec Deus es, nec homo, sed neuter, & inter utrumq;. Alij corruptè dictum putant, vel quasi pappus, id est, avus seu patris pater, ut est apud Ausonium: vel quasi pappas, e, quo nomine Bythinii Jovem tanquam patrem suum salutasse dicuntur. Lutherus à nomine Abba, per consonantium mediarum in suas tenues transmutationem & metathesin derivat, atq; si germanico nostro, quo blandiusculis verbis balbutientes pueri suos genitores (Abbe) nominant, corresponderet: quemadmodum Apostolus Corinthios à se conversos, appellat filios suos charissimos, quos ipse tanquam ipsorum Pater suo docendi ministerio genuerat.

43. Servatum autem est Papa nomen in Ecclesia per multa secula, ut commune esset omnium Episcoporum, & presbyterorum attributum. Græci suos presbyteros etiamnum πόντες, Germani Pfaff vocant, & hac inscriptione Rom. Episcopos multis seculis usos fuisse, constat ad Gregorij usq; tempora; eum enim Papa titulum Rom. Pontifex cum sibi solus arrogavit, sicut Orophrius commemorat.

44. Verùm quam Papa Romanus omninò parentis animum ac Pinosopiam exuerit, sanguis martyrum Jesu Christi clamat è cælis, ut & hiccè mihi titulus planè e mentibus & ad blanditias à Gnathonibus & parasitistris Rom. compositus videatur.

Ita fuerunt attributa quædam absoluta  
sive Substantiva;

Sequuntur ADIECTIVA; quorum pleraq; non solum in prædicantur; utinam verò ne sermonis hyperbole superstitiones hyperbolicas peperisset. Hujus ordinis isthac sunt appositæ Pontificis cognomina,

L. SAN-

- I. SANCTISSIMVS.  
 II. CATHOLICVS.  
 III. OECVMENICVS.  
 IV. MAXIMVS.

*De quibus hoc loco prolixius commentari nec libet, nec licet.*

II. AXIOMATA:

45. Adhuc de primo principiorum genere: Sequuntur Axiomata REGIMEN ECCLESIASTICVM explicantia: qua eo nomine nobis de Antichristo Romano disputaturis necessario sunt dispicienda & praelibanda, cum in illis precipue de Primatu Pontificis, h. e. ut Bellarminus impie explicat, de Summâ Rei Christianæ agitur.
46. Insequens igitur de Regimine Ecclesiastico tractatus, tum GENERALIBVS, tum SPECIALIBVS Axiomatibus absolvitur.

GENERALIA sunt:

47. I. In Ecclesiâ visibili esse aliquam gubernationem & regimen externum. Deus enim omni modo ἀναγορεύει improbat, qua nullus alteri subsit vel præsistat. Et hortatur Apostolus Populum Hebraum, ut τοῖς ἡγεμενοῖς seu ductoribus suis, Heb. 13. 17. qui tamen ipsi Ecclesiam Dei solum pascunt Act. 20. 28. non autem in Clero potestatis primatum & dominium exercent, 1. Pet. 5. sit obediens.
48. II. Non esse eandem rationem Politici & Ecclesiastici Regiminis. Sunt quidem isthæc duo Regimina non φραγνὰ ἀλλήλων sive contrarie opposita, quorum unum si vincat, corrumpit alterum: Esse tamen oppositionum ἔστι λέξιω Savaator suo calculo approbat, inquiens: Date Deo, qua Dei sunt, & Cesari, qua Cesaris; Cum autem, qua ὑπὸ ἀλλήλων distinguuntur, non perpetuo se habeant ut res & res; ideo ad sacram scripturam iudicem provocamus, hæc ut nobis edisserat, qua utriusq; Regiminis sit ratio Consentanea, qua Dissentanea.

49. CONVENIENTIAM *ἀσπίματιν* & Subjectis, cum se-  
culares principes *αἱ* sint membra Ecclesia, ut Clerici membra  
Politia: & Efficiente, Deo & Ecclesiam & politiam con-  
stituente ac tuente *Ἀκτορ. 20. 28. Dan. 2. 21.*

50. DIVERSITATEM *μετιμυρ* precipuè 1. Objectis, quod  
Politia humanis & ad humanam vitam pertinentibus legibus  
regitur: Spiritualibus verò & aeternam beatitatem concernen-  
tibus preceptionibus Ecclesia instruitur. 2. Formâ, quia Ec-  
clesiam solo comminationis & promissionis verbo; Politiam gladio  
& potestate externâ administrari scriptura jubet, *Marc. 16. 15.*  
*2. Cor. 10. 4 Rom. 13. 4.*

51. III. Esse in Ecclesia singularē quendā gubernationis  
gradum, *ὑπερκενὸν* sc. qui proprius est ministris Christi  
& dispensatoribus mysteriorum Dei. *1. Cor. 4. Secundū*  
*placita Philosophorum Aristotelis lib. 3. pol. 5. & lib. 8. c. 10. E-*  
*thic. & Platonis in Politico tres celebrantur formæ simplicis gu-*  
*bernationis, Monarchia, Aristocratia, Democratia; sed valent*  
*dictæ formæ in civili gubernatione; juxta quas velle exter-*  
*nam & visibilem Hierarchiam Ecclesiasticam moderari & insti-*  
*tuere, præter rationem & pietatem est, cum novum potestatis*  
*ordinem ὑπερκενὸν Ecclesia agnoscat. Is in legibus non ferendis,*  
*ut cetera gubernationis civilis formæ, sed in legibus accipien-*  
*dis versatur. Deinde αὐτοκράτορῃα ac libera potestas leges figen-*  
*di refigendiq; est ἰσχυρὸς accessionalis singulis imperiorum formis*  
*politicis. Quod enim Rex in Monarchia seorsim, id optimates in*  
*Aristocratia conjunctim, universitas in Democratia simul. Ve-*  
*rùm αὐτοκράτορῃες ex Ecclesiâ Salvator in perpetuum relegat &*  
*excludit, Matth. 28. v. 20. docens, quod d' ipsius solius sit Mo-*  
*narchia; ministrorum & dispensatorum Ministerium; o-*  
*mnium universè & singulariter Obsequium.*

52. IV. Univerfam Ecclesiam non esse à Deo unius ho-  
minis, quæ est *ἑνὸν αἰνεῖται*, sollicitudini & pruden-  
tiæ com-

tiæ commendatum. *Id arguunt* I. *Divisiones Charisma-*  
*tum, qua non uni dat cuncta Deus, 1. Cor. 12. 11. II. Distin-*  
*cti gradus ministerij Ecclesiastici, Eph. 4, 11. 1. Cor. 12, 28.*  
 III. *Praxis prophetica Deute. 1, 10. & Apostolica, Galat. 2. 9,*  
 IV. *Quis deniq; mortalium ullus, in tam illustri & monarchico*  
*Ecclesia regimine sese continere posset, ne se insolenter efferret:*  
*Ex insolentiâ enim arrogantia, ex arrogantia odium, ex odio*  
*contentio, inde animorum distractio, & deniq; certa Ecclesia*  
*ruina metuenda foret. Res ipsa loquitur, quanta in Davide &*  
*Salomone Monarchis populi Iudaici sanctissimis, insolentia nata*  
*fit, & quomodo in aploratam Regnorum Israeliticorum confu-*  
*sionem, seditionem & distractionem tandem accreverit; ut*  
*Pseudoepiscopus Romanus mirum non faciat, quod etiam Reges*  
*sibi pedes osculari coegerit, eorumq; cervices calcare voluerit.*  
 Ita fuerunt axiomata Generalia, de Regimine Eccle-  
 siastico: sequuntur SPECIALIA, quæ,  
 quibus cura regendi Ecclesiam com-  
 missa sit, proponunt.

53. *Suntq; vel de primis Ecclesie renascentis Fundatoribus, vel*  
*de eorum Successoribus.*

54. *FUNDATORVM alius est Primarius & Efficax: Alij*  
*Secundarij & Instrumentales,*

55. *PRIMARIVS solus est Christus,*

*De CHRISTO isthæc axiomata ex Scripturâ dantur.*

56. I. *Christum unum esse ac proprium Ecclesiæ Catho-*  
*licæ Monarcham. Ipse enim est Rex Regum, & Domi-*  
*nus dominantium, 1. Timoth. 6. Apocal. 19. Rex seculorum*  
*& immortalitatis, 1. Tim. 4. sedens ad dextram Dei, Rom. 8,*  
*habens sub pedibus angelos & potestates & virtutes subje-*  
*ctas, 1. Pet. 3. Ephes. 1.*

57. II. *Solum Christum esse Sponsum Ecclesiæ, quam la-*  
*vacro aquæ mundavit, sibiq; in fide & veritate æter-*

num copulavit. Testatur id Paulus, quod ipse Corinthios, tanquam Paranympheus virginem castam desponderit uni viro Christo 2. Cor. 11. Rom. 7. Psal. 45. Es. 62. Apoc. 22.

58. III. Solum Christum esse Ecclesiae fundamentum; Matth. 21. Es. 28. Act. 4. 1. Pet. 2. Equidem non inficiamur, omnes fideles esse Ecclesia lapides, Sed non fundamentales & angulares, verum superfundatos & exstructos, nec id tamen ex se & virtute incommunicabili, sed gloriae Christi participatione, huius gratia & vivi lapides dicuntur, 1. Pet. 2. 3.

59. IV. Christum esse unicum Ecclesiae Catholicae caput Colos. 1. 18. Eph. 4. 15. Et quotiescung, Spiritus sanctus Ecclesia hierarchiam sub corporis mystici similitudine delineat, 1. Corint. 12. Eph. 4. Rom. 12. toties Christum solum Ecclesia constituit caput. Deinde Ecclesia aut uni solum capiti adhaeret, aut est πολυκεφαλον, aut ἀνέφαλον. Non πολυκεφαλον; Est enim monstrum in Naturâ, si unum corpus plus quàm unum caput habeat. Sed Ecclesia Catholica est unum corpus, 1. Cor. 10. & quidem membris suis probè connexum & colligatum per omnes commissuras, Ephes. 4. v. 16. Neq, ἀνέφαλον; praterquam enim quod nobis in eo summa sit cum Romanensibus consensio, tota Scriptura veteris & novi Testamenti huic assentitur. Relinquitur igitur ut Ecclesia corpori non nisi unum tantum caput Christus substet, neq, alia capita vel capitula sint adnata, respectu scilicet totius & Catholicae Ecclesiae.

Haecenus de Fundatore & Rectore Ecclesiae Catholicae primario, Christo: Secundarij & instrumentales sunt APOSTOLI

60. Hi tanquam periti Architecti suo ministerio Christum lapidem angularem & fundamentalem posuerunt: quorum structura fundatissima successores reliqui superadificarunt, 1. Cor. 3. v. 10. Eph. 2. v. 20.

61. De illorum AEQUALITATE hic est cum Pontificijs discutiatio. Non autem de primatu ordinis inter pares, quem

equidem Apostolo Petro sine omni harescos suspitione concedere,  
si ita visum fuerit, possumus: sed de primatu gradus ac po-  
testatis super inferiores queritur. Hunc Apostolo P E T R O de-  
negamus: quin singulis Apostolis aequalem potentiam plantandi  
Ecclesias totius orbis pari jure à Christo concessam pronunciamus:  
id scilicet edocti, P R I M O; Testimonijs Christi, Marc. 9. v. 34.  
Matth. 18. v. 1. Matth. 20. v. 25. Luc. 22. Pauli Galat. 2.  
2. Cor. 11. v. 5. Johannis 3. Epist. v. 9. & ipsius Petri 1. Pet. 5.  
v. 1. 3. S E C V N D O Rationibus. Etenim aut Apostolatus  
est singulorum communis & equalis, aut ordo iste, si quis Apo-  
stolatu fuerit superior, in Christi thronum proxime invadet.  
Ratio est, quod intermedia dignitas inter Christi sublimitatem  
& Apostolorum potestatem nullam in Scriptura sit expressa,  
sed Apostolatum in Regimine Ecclesiastico immediate exci-  
pit Christi dignitas, Eph. 4. v. 11. 1. Cor. 11. v. 28. Po-  
sterius autem affirmare impium est & blasphemum: prius er-  
gò verum sit necesse est. T E R T I O Confessione Antiquitatis.  
Nam Basilus, Christus, inquit, post Petrum dedit omnibus  
pastoribus aequalem potestatem, & hujus signum est, quod omnes  
ex aequo ligant & solvunt. Et Cyprianus inquit: Christus post  
resurrectionem suam dedit omnibus Apostolis parem potesta-  
tem, & hoc utiq; fuerunt ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, parè  
consortio pradii & honoris & potestatis, sed exordium ab uni-  
tate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstratur.

¶ 2. Tribus hisce argumentorum generibus Bellarminus tria alia op-  
ponit I. Ex duobus locis Evangelij, Mat. 16. Tu es Petrus, & super  
hanc petram, &c. & Iohan. 21. pasce oves meas. II. Ex Petri  
privilegijs ac prerogativis. III. Ex Latinorum & Græcorum  
testimonijs. Quorum examen disquisitioni transdamus.

Atq; hætenus de primis Ecclesiæ Catholicæ Funda-  
toribus: Nunc de eorundem S V C C E S S O-  
RIBVS axiomata, materiæ præsentis  
conducibilia persequemur.

Sans q.

63. Sunt q̄, alia Generalia de ipsa SVCCESIONE: alia Specialia de SVCCESSORIBVS.

GENERALIA sunt

64. I. Successionem Ecclesiasticam esse duplicem. *Aliam Catholicam sive Doctrina, Aliam Personæ docentis, quâ alter in alterius locum ordine non interrupto surrogatur. ILLA propriè doctrina continuatio; HAEC loci successio indigitatur. Distinctionis fundamenta suppeditat Christus Matth. 23. & Apostolus Rom. 9, 7.*
65. II. Vtramq; successionem pro diversâ Ecclesiæ facie stabilem esse aut labefactari. *Quemadmodum enim Ecclesia invisibilis & Electorum habet firmissimas promissiones, ut adversus eam ne porta quidem inferorum unquam prevalitura sint Matt. 16. & 24. Visibilis contra & particularis, sicut Luna suos defectus habet & ortus frequentes, ita prioris respectu perpetua constat cælestis doctrina continuatio 59. Matth. 28. continuataq; docentium successio, sive ordinaria, sive extraordinaria Ps. 44. 17. Eph. 4. Respectu verò visibilis cætus, & successio personalis & doctrina continuatio à primis usq; sæculis sapissimè mutationi obnoxia fuit. Ezech. 44. 10. Jerem. 7. 14. Os. 4. 6. Actor. 20. 29. 2. Tim. 4. 3.*
66. III. Alterutram ex duabus successionum formis sæpiùs seorsim consistere posse, ita ut nec loci successio cum doctrinæ successione; nec hæc cum illâ necessario & indissolubili nexu connexa sit. *Sic Ecclesia Israelitica tempore Elia destituebatur quidem ordinariâ loci & Pastorum successione. At fidei successio non desierat, quia complures Baalim non venerabantur. Contra etiam ordinaria quidem Sacerdotum successio Ierosolymis tempore Christi vigebat, religio tamen miserrimè erat corrupta. Matth. 23. 1. Regum. 12. & 19.*
67. IV. Successioni vicariæ & personali longe antea  
& præ-

& præferendam esse doctrinæ purioris successione  
& continuationem. Nam Doctrina successio est instar ani-  
mae, quæ lo. ali. Episcoporum successioni, tanquam corpori, vires  
& robur infundit; proinde si continua Episcoporum series verâ  
fidei successione ceu animâ destituatur, eam jacere mortuam &  
nihil aliud quam cadaver inutile superesse Theologi doctè judi-  
cant.

Fuerunt Axiomata de Successione  
generatim;

Sequuntur SPECIALIA de Apostolorum successoribus, ni-  
mirum tum de Episcopis universè, tum de Pseudo Episcopo  
Romano sigillatim.

De EPISCOPIS axiomaticè docemus.

68. I. Episcoporum neminem in Apostolatus munere  
ipsis Apostolis succedere. Etenim Apostolatum propriè  
sic dictum absolutâ docendi ubiq; potestate supra definivimus.  
Atqui à Pauli vocatione ad Apostolatum nullus in scripturis le-  
gitur divinitus ad ubiq; predicandum vocatus, nisi quod forsâ  
ipsi Apostoli alios Doctores secum in comitatum tanquam comi-  
tes & laborum socios circumduxerint. Ergo. Deinde nec Apo-  
stoli novis Apostolis creandis operam dederunt, neq; creandos a-  
lijs mandarunt, sed presbyteros communibus Ecclesiæ suffragijs  
per singulas Ecclesias oppidatim ordinarunt Actor. 1. 22. ordi-  
nariq; deinceps voluerunt Tit. 1. 5. ut gregem, qui penes ipsos  
erat, hunc solum pasceret. 1. Pet. 5. 2.

69. Omnes Episcopos in ministerio Ecclesiæ esse com-  
muniter Apostolorum successores. Quicquid enim de  
Apostolis singulis, ratione generalis Congregatiæ ac ministerij  
(prærogativa quippe Apostolorum personales, atq; extraordi-  
nariæ personam non egrediuntur) prædicatur, id Scripturæ at-  
tribuunt Episcopis singulis, ut facile, de communi vocatione,  
de clavium potestate, de efficacitate, deq; aliis ministerij Ec-

C

cle-

clericali requisitis, si opus esset, probari posset, & per hoc Episcopos communiter in Apostolorum <sup>in negotiis</sup> substitutos esse Dominus voluit.

70. III. Episcopos esse ejusdem Sacerdotij; ut Hieronymus inquit, hoc est, Omnes Episcopos & praepositos communi jure & aequali potestate succedere in ministerium Apostolorum. Nam si Apostolis summa potestatis aequalitas intercessit, erit & inter Episcopos Ministerij aequalitas. Connexio ex precedenti axioma sic conspicua. At prius verum esse, supra fuit exhibitum. Ergo.

Satis de Episcoporum successione universè. Nunc de PSEUDOEPISCOPO Romano.

Hic sciendum,

71. I. Romanum Pontificem jure divino non esse Petri Apostoli successorem, attestante Bellarmino lib. 2. de de Rom. Pontif. c. 12.

72. II. Romanum Papam Petro in Pontificatu, id est, in primatu omnium Ecclesiarum singularum, non succedere. Successio enim non est in eo, quod non fuit. Petrus verò aequalis fuit vocatione, doctrinâ & potestate ceteris Apostolis, & pontificatum nunquam affectavit, nunquam eum sibi excogitavit, nunquam furrim rapuit. Ergo in eo Romanus pontifex non successit.

73. III. Romanum Pontificem Petro in doctrinâ & officio minimè succedere. Quàm verum illud sit axioma, non res pro re, sed res pro nobis loquitur. Consulantur modò actus B. Apostoli Petri ejusq; conciones à Luca in Actis ex parte descriptæ; quas, si quis ad professionem & mores hodiernos Pontificis Romani accommodarit, is profectò tantandem doctrinæ & vitæ Apostolica in aulâ Pontificiâ lustrabit, quantum ille, qui mediâ Româ Romam quarit, is, Roma Româ nil reperit mediâ.

Papam

74. IV. Papam jure divino in Cathedrâ locali B. Petro non succedere. PRIMVM cum nulla, quod memini, suspicio, non dicam ratio probabilis in Scripturis monstrari à Monachis hucusq; potuit, quòd Deus maluerit Episcopum in Italia constituere successorem cathedrae, ex quâ Petrus Romæ professus dicitur, qua alium quemvis Episcopum vel in Syriâ, vel in Cappadociâ, vel in Asia, vel in Bithiniâ, vel alibi locorum ubi Petrus coràm fuit & docuit, non minus, imò certius quàm Romæ.

75. DEINDE acris adhuc controversia est, an B. Petrus præfens & in loco Romæ unquam vixerit? Romanenses ferè omnes scriptitant, Petrum Anno Christi XLV. qui est secundus annus imperij Claudij, Antiochiâ, nescio quo comitatu, Romam profectum fuisse, atq; Ecclesiam Romanam a. d. 15. Kal. Febr. primitus fundasse, sedensq; Pontificiam istâc erexisse, ex qua integros XXV. annos cum VII. mensibus solus tanquam Pontifex & Monarcha Ecclesia Catholica absolutâ potestate dominatus fuerit. Hoc enim tempore præterlapso fuisse à Nerone martyrij pena indignissimè affectum? Nos isthæc de B. Petri Romani adventu aut fabulosum Romanensium commentum, aut dubiâ quandam cabalam esse asserimus. Etenim Chronologia Pauli in c. 1. & 2. ad Gal. instituta istum, quem Pontificij supputant, calculum penitus refellit. Etenim Apostolus Paulus à sua conversione, III. hoc est, Anno Christi XXXVII. Petrum Coapostolum Jerosolymis compellavit, Galat. 1. Annis post XIV. interjectis Anno Christi LI. cum Petro fraternè in Jerosolymitano concilio secundo est congressus, & ne quis falsò opinaretur, ac si Petrus 14. istos annos in Italicis vel in alijs à Judæâ longè distans gentium Ecclesijs visitandis & plantandis consumpsisset: Paulus aperte attestatur, Petrum interea temporis suo Apostolatu maxime ad circumcisum populum functum fuisse, Gal. 2. v. 7. 8. Hactenus evicimus Petrum ante annum Christi LI. Romæ nondum sedisse. Caterum non videtur verissimile Petrum è ve-

stigio Romam excurrisset postquam secundus ille, de quo jam diximus, celebratus fuit Apostolorum congressus. Nam ipso concilij tempore Apostoli inter sese tum verbis, tum sanctissimâ dexterarum pactione intercedente ita Apostolaturn partiebantur, ut Paulus & Barnabas Gentibus predicarent: Petrus verò Johannes & Jacobus in Judæâ inq; locis Judææ confinibus aliquosq; commorarentur, Gal. 2. Esto autem S. Petrum neglectâ tam sancti fœderis sanctione (quod tamen nobis non videtur verisimile) rectâ viâ Romam properasse, & jam inde per XXV. annos Roma præsulem Romanum egisse. Quibus annis ad LI. annum Christi additis, producitur annus Christi LXXVI. Verùm atas imperatoris Neronis, cujus sub imperio B. Petrum sanguinis sui pignore Christo veritatis testimonium dedisse communis & constans, præsertim apud adversarios fama est, Annũ Ch. LXXVI non affecta est. Aut igitur Petrus mortuus, adhuc Ecclesia Ro. præsedet: aut commentum erit, quicquid de XXV annis cum VII mensib. Pontificatus Petri in urbe Româ homines isti fabulantur. Vtrum velint, eligant. Conclusum ergo esto: Quâ fide Petrus perhibetur vitam suam ultra XXV. annos Roma traduxisse, ut isthîc Pontificatus cathedram erigeret, eadem fide, h. e. aut nullo, aut dubiâ credimus Romanum Episcopum Petro esse in sede successorem.

### III. POSTVLATA.

76. Tantùm de Secundo principiorum genere, quod fuit de propositionibus Axiomaticis, γνωστικῶν præsentis disputationis concernentibus: Sequuntur ἀτιμήματα seu Postulata, ποσῶν tractationis insequentis imprimis conducibilia. Sic verò universa erunt composita, ut citra omnem fidei Apostolica jacturam pleraq; ab utraq; contradicentium parte facillè concedi possant, aut concessa olim fuerint. A nobis igitur alia, alia nobis cedantur: Sed dum nostram in largiendo modo liberalitatem prius Romanensibus probamus, in hisce nos habent consentientes.

In Ec-

77. I. In Ecclesiâ Novi Testamenti post gloriosum Christi in cælis ascensum floruisse *Prodidiâtes*, quorum animis prælagitationes intrinsecus injectæ, atq; visiones forinsecus objectæ fuerint, ut aut futuras res prænunciarent, aut præsentis confirmarent. Huic postulato eo faciliorem assensum præbimus, quod id ipsum tum scripturarum testimonia 1. Cor. 12. & 14. 29. Joel. 2. tum exempla Agabi Act. 11. filiarum philippi Evangelistæ Act. 21. Iohannis in Apocalypsi, tum Augustini contra Faust. lib. 19. aliorumq; Patrum autoritas comprobet.

78. II. Visiones Apocalypseus esse Apostoli & Evangelistæ Iohannis, scripturisq; Canonicis accensendas. Et huic assertioni ut cedamus, nos inter cetera momenta, movet etiam Patrum vetustissimorum autoritas, ut Iustini Martyris in Thryphone, Irenæi Ludunensis Episcopi lib. 5. contra hæres. c. 21. & 25. Tertulliani contra Marcionem lib. 4. Hieronymi ad Dardan. Augustini l. de unitate Ecclesiæ Tom. 7. pag. 546. & Epiphani j l. 2. Tom. 1. Interim non dissimulandum est, non omni tempore, nec ab omnibus Patribus istud thema fuisse concessum.

79. III. Ex unâ communi notâ ac circumstantiâ prophetiæ, velle ad impletum prophetiæ actum *ἀποδεικνύω* argumentari, omninò inconsequens esse. *Accidens enim commune potest inesse sæpius disparatis subjectis, nec particula definitionis, sed tota definitio definitum perfectè arguit. Interim non rarò accidit, ut Spiritus S. in illustribus prophetiis unam item atq; alteram circumstantiam exprimat, qua proprium eventum ab alijs rebus specificè discriminare queat, ut solus virginis partus necessario arguit, Iesum & non alium esse Messiam promissum.*

80. IV. Certissimum & optimum oraculorum divinorum interpretem esse rerum prænunciatarum eventum.


tum. Propheticos enim sermones nobis clausos & obsignatos esse, quoad predictionum experientia non accesserit; veritatemq; prophetia ex eventu aestimandam, à Jeremia c. 28. & Daniele c. 12. didicimus. Non ergo mirum, non novum fecerunt sancti patres, quod obscurius de Antichristo differuerint, cum oracula prophetiarum suam interpretationis lucem ab eventu habeant; & nos demum hodie, postquam Antichristus est revelatus, rectius de eo judicare possimus, quippe qui complementum vaticini in eventu clarissimo cominus aspiciamus.

Satis adversariorum postulatis celsimus: nunc eos nostris quoq; votis æquos esse judices convenit.


Quandoquidem verò ipsum nostri nomen Romanensibus planè exosum est, Patres, quos (scio) magni faciunt, pro nobis causam agant, eorumq; authoritati se assensores præsent.

Postulamus igitur concedi


81. I. TERTULLIANO lib. de præscripte heret: Nobis nihil licere ex nostro arbitrio indulgere, sed nec eligere quod aliquis de suo arbitrio induxerit.
82. II. AVGVSTINO lib. 3. de doctr. Christ: c. 5. 10. & 11. Figuratam locutionem ad literã non esse accipiendam,
83. III. HYLARIO apud Lyrã ad c. 18. Deut. Intelligentiam dictorum ex causis sumendam esse dicentis. Ratio est in promptu: quia scopo mensuratur quicquid in textu dicitur, sicuti media suo fine ordinantur.
84. IV. Apostolo PAVLO Rom. 12. Omnem Prophetiæ interpretationem fieri debere secundum fidei analogiam.
85. V. AVGVSTINO lib. 2. de Trin: c. 1. Ambigua in scripturis sacris si explicari non possint, in utramq; partem intelligi posse, si fidei regula non obstat.












77. I. In Ecclesiâ Novi Testamenti post  
sti in cælis ascensum floruisse *tradidit*  
mis prælagitiones intrinsecus injectæ  
forinsecus objectæ fuerint, ut aut  
nunciarent, aut præsentem confirma  
lato eo faciliorem assensum præbemus, quod id  
rarum testimonia 1. Cor. 12. & 14. 29. 10.  
Agabi Act. 11. filiarum philippi Evangelistæ  
in Apocalypsi, tum Augustini contra Faust  
Patrum autoritas comprobet.

78. II. Visiones Apocalypseus esse Ap  
gelistæ Iohannis, scripturisq; Ca  
sendas. Et huic assertioni ut cedamus, in  
menta, movet etiam Patrum vetustissimo  
Iustini Martyris in Thryphone, Irenæi  
lib. 5. contra hæres. c. 21. & 25. Tertullian  
lib. 4. Hieronymi ad Dardan. Augustini l.  
Tom. 7. pag. 546. & Epiphaniij l. 2. Tom. 1.  
mulandum est, non omni tempore, nec a  
istud thema fuisse concessum.

79. III. Ex unâ communi notâ ac cir  
phetiæ, velle ad impletum prophetiæ  
argumentari, omninò inconseque  
enim commune potest inesse sapius disparat  
ticula definitionis, sed tota definitio definit.  
Interim non rarò accidit, ut Spiritus S. in  
unam item atq; alteram circumstantiam  
prium eventum ab alijs rebus specificè dis  
solus virginis partus necessario arguit, Iesu  
Messiam promissum.

80. IV. Certissimum & optimum ora  
rum interpretem esse rerum prænu



Chri-  
nani-  
ones  
præ-  
postu-  
riptu-  
empla  
hannis  
rumq;  
  
uan-  
cen-  
ra mo-  
us, ut  
piscopi  
ionem  
ecclesia  
dissi-  
tribus  
  
pro-  
exclusio  
cidens  
ec par-  
arguit.  
phetijs  
re pro-  
rat, ut  
um esse  
  
vino-  
ven-  
tum.